



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Sibyllina V. 19. Martij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

186 VITÆ SANCTORUM. 19. Mart.  
curi feriunt; sanguini innatas. O factum  
bene! hanc demum purpuram altera, ad  
quam tendis, Aula probat. *Ex Menais.*

*Sapientia est in pœnitundine peccatorum,  
in contemptu presentium commodorum, in  
desiderio futurorum præmiorum. Invenisti  
sapientiam, si prioris vitæ peccata de-  
stas, si sæculi desideria parvipendas, si  
æternam beatitudinem toto desiderio con-  
cupiscas.*

S. SIBYLLINA V. 19. Martij.

**N**ATA SIBILLINA Papiæ in Bisconsâ  
nobili familiâ D. Dominici tertium  
Ordinem nobilitavit. A teneris scelus in-  
gens credidit esse, quem sibi horarum  
Canonicarum vicem numerum precum  
præfixerat, vel semel omittere. Loco  
solo cum se inclusisset, non nisi semel ad  
Virginem velatam, semel epulo Eucha-  
ristico reficienda sponso obviam proces-  
sit. Gaudiis tunc inudabat, cum san-  
guini, quem ipsa flagris septem annis  
quotidie fundebat. Pudorem unicâ ve-  
ste & contra æstum, & frigora tegebat.  
Nudo indormiebat ligno, suavissimo ca-  
stitati thalamo. Annum XII. egressa,  
cum oculos corporis amisisset, animi  
invenit, & D. Dominicum manifestâ  
in luce conspicuum habuit, tantis gaudiis  
delibuta, ut jam nollet non fuisse cæ-  
ca. Et verò quis unquam plura vel Argus  
vidit,

20. Mart. VITÆ SANCTORUM. 187  
vidit, quando longè post futura vidit,  
prædixit; conscios lethalis noxæ animos  
inspexit; è ligno, quo Christus pepen-  
dit, reliquias, cordis tactu veras esse  
pervidit, eoque oculis jam penetravit, ut  
quo Christus sub panis orbe, quo non  
lateret, perspiceret. Sed illa oculis ca-  
renti jucundissima spectacula fuere: vi-  
dere non semel festo Pentecostes die sa-  
crum Pncuma supra caput suum descen-  
dere. Denique cum precabunda beatissi-  
mum illum pusionem JESUM, illum  
illum solem potuit intueri, an non ocu-  
los habuisse jam probos putemus? Enim-  
verò si oculis tunc non vidit, ac certè  
charius aliquid oculis vidit. *Extom. 14.*  
*Bzovii.*

*Præoccupatum secularibus desideriis ani-  
mum delectatio sancta declinat, nec misceri  
poterunt vera vanis, æterna caducis, spiri-  
tualia corporalibus, summa imis; ut pariter  
sapias qua sursum sunt, & qua super ter-  
ram. S. Bern. hom. 5. de Ascens.*

S. JOACHIMUS PATER B. M. V.  
20. Martij.

JOACHIMUS è regiâ Davidis stirpe  
Jassem suum trifariam divisit. Partem  
templo sacram, alteram egenis & peregrin-  
nis communem, ultimam sibi & familiæ  
voluit reliquam; testamento, quod vel cæ-  
lū probavit. Nam cum in ipsam senectam  
usque